

Lucas Bacmeister Johann Berthold Weccius

**Disputatio Altera De Religionis Christianae Principio, seu Scriptura Sacra,  
Continens quaestiones De Scripturae Perfectione atq[ue] Sufficientia contra  
Humanas Traditiones, de ejusdem Perspicuitate, Interpretatione, Necessitate,  
Lectione, & Versione. Cuius subiectas Theses, Divina adiuvante gratia**

Rostochii: Myliander, 1605

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771906218>

Druck Freier  Zugang







R. u. - theol 1604 Bacmeister, Lucas. 1

R. u. - theol 1605 Bacmeister, Lucas. 2



*DISPVATATIO ALTERA*  
**DE RELIGIONIS  
CHRISTIANÆ PRINCIPIO,**  
seu Scriptura Sacra,  
*Continens questiones*  
**DE SCRIPTURÆ PERFECTIO-**  
ne atq; Sufficientiâ contra Humanas Tra-  
ditiones , de ejusdem Perspicuitate, In-  
terpretatione, Necessitate, Lectio-  
ne, & Versione.

*Cujus subjectas Theses,*  
*Divinâ adjuvante gratiâ,*

P R A E S I D E  
**L V C A B A C M E I S T E R O L . F .**  
S.S. Theolog. Doct. & Profess. in Acad. Ro-  
stock. ordinario,

Respondendo tuebitur  
**M . I O H A N N E S V V E C C I V S**  
H A N N O V E R A N U S .

Die 21. August. in Auditorio magno,  
Hora 6. matutinâ facto initio.

R O S T O C H I I  
Typis Stephani Myliandri, Anno 1605.

Bibliotheca  
Academica  
Rosthienensis

## THESIS I.

Xpeditâ nuper questione de Autoritate Principij Re. De Per-  
ligionis Christianæ, seu Scriptura Sacra, consequens fectione  
est, ut de Perfectione Scriptura, & cæteris questioni- scriptu-  
bus ordinè dispiciamus. 12.

2. Divinam enim cum obtineat autoritatem, & à Spiritu  
Dei sanctis hominibus dictata & inspirata sit : 2. Pet. 1, 21. nostræq;  
fidei, & salutis causâ in literas relata, Ioh. 20, 31. perfectâ quoq;  
eam esse, & omnia quæ sunt ad salutem scitu necessaria, quæq;  
ad omnia dogmata fidei sufficiëter dijudicanda requiruntur, plenè continere,  
afferere non dubitamus.

3. Hac verò sententia ut olim ab Hæreticis fuit impugnata, ita  
nec hodie ab Adversariorum insultibus tuta esse potest.

4. De Montanistis enim & Manichaïs antiquitatis monumen- Aug. de  
ta referunt, quod insignem hanc blasphemiam eructare non exhor- bæresib.  
ruerint: Apostolis Domini non datum esse Spiritum sanctū, qui eos cap. 46.  
duxerit in omnem veritatem: sed promissionem Domini Iesu Chri-  
sti de Paracleto Spiritu Sancto, in Montano & Manichæo esse com-  
pletam, & plura in Montano & Manichæo dixisse, quam Apostoli  
sciverint: nec tantum plura, sed etiam meliora & majora.

5. Valentiniani verò, Marcionite & Cerinthiani, scripturas Iren. lib. 3.  
insufficientia & varietatis accusarunt: & veritatem ex ijs inve- cap. 3.  
niri non posse ab ijs, qui Traditionem nescirent, docuerunt: siqui-  
dem veritas non per literas, sed per vivam vocem tradita esset.

6. Et Tertullianus auctor est, eò usq; impudentia priscorum Hæ- De Pœ-  
reticorum nonnullos progressos esse, ut senserint, Apostolos non script. ad. 3.  
omnia omnibus revelasse, sed quedam palam & universis, quedam Hæret. 3.  
secretò & paucis demandasse, eò torquentes dicta: O Timothee,  
depositum serva 1. Tim. 6, 20. Item: Quæ audivisti à me, hæc fideli-  
bus committe hominibus, 2. Tim. 2, 2.

7. Postiores hosce nostro hoc tempore strenue sectantur Tra-  
ditionarij Papistæ, omnes ingenij nervos intendentes, ut scripturas  
Propheticas ac Apostolicas, non tantum quoad salutarem Dei noti-

A 2 tiam,

tiam, fidem, & salutem eternam consequendam, sed etiam quoad dogmata Ecclesiae dijudicanda, imperfectionis convincant, & sine Traditione insufficientes esse contendant.

8. De qua controversia, ut tanto constare posse liquidius, statutus initio esse constituendus est. Queritur n. inter nos & Pontificios; An scriptura sacra, Canonicis Vet. & No. Testamenti libris conclusa, omnia ea quae ad salutem sunt necessaria, hoc est, que ad eterna salutis consecrationem, & ad cultus Deo placentes pertinent, plenè perfecteque, sive expresse & ad literam, sive non expresse seu implicite, sic tamen ut inde per bonam & immotam consequentiam deduci queant, comprehendat: ac proinde ad omnium singulorumque dogmatum fidei dijunctionem ita sufficiat, ut opus non sit traditionibus sive verbo non scripto. Questionis hujus Negativam tenent Pontificij. Nos Affirmativam, Deo dante, tuebimur.

9. Ne autem injuriam sibi à nobis fieri clamitent adversarij, opera & pretium erit, sententiam Ecclesiae Romanae, ex scriptoribus quibusdam classicis cognoscere. Sic ergo censura Colonensis fol. 220. inquit: Sacra scriptura est doctrina imperfecta, mutila, manca, que non continet omnia quae ad salutem, fidem, & mores pie vivendi pertinent: sed defectus ille sarcendus est assumpto Traditionum. Idem repetitur in opere Catechistico Canisij fol. 126. 160. 161. & 162. Consentit cum his Coesterus Colonensis Iesuita in Enchiridio pag. 47. Dicendum, ait, omnia fidei mysteria, ceteraque creditu & scitu necessaria, in corde Ecclesiae esse clarissime exarata, in membranis vero tam V. quam N. Testamenti, multa desiderari. Et Bell. lib. 4. de verbo Dei cap. 4. scribit: Scriptura non omnia ita continent, ut sufficiente ipsa sine alia traditione. Theologorum Bavanicorum sententia videatur in actis Colloq. Ratisbonensis Anno 1601. habiti pag. 107. Editionis Lubecensis. Et nota est impia Tanneri in eodem Colloquio vox: Nulla heresis ex sola scriptura potest sufficienter refutari.

10. Contra verò nostra est sententia: in questione hac Dogmata fidei primaria, à dogmatibus, que vocant, secundarijs, que ad ritus

ritus & consuetudines Ecclesiasticas pertinent, caute esse distinguenda: & illa quidem plenè sufficienter perfectèq; in scriptura contineri afferimus; moti primum manifestis scriptura testimonij, tum rationib; & deniq; Orthodoxæ Antiquitatis perpetuo consensu.

11. Testimonia ex multis hac pauca sufficienti, Deut. 4. v.2: Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Et cap. 12. v.34. Quicquid præcipio tibi hoc tantum facito, non addas quicquam, nec minus ex eo. Proverb. 30. v.5. & 6. Omnis sermo Dei igne coctus, clypeus est sperantibus in se, ne addas quicquam verbis illis, & arguaris, inveniarisq; mendax. Psal. 19. v.8. Lex Domini perfecta est, convertens animas, & sapientiam dans parvulis. Ioh. 5. v. 39. Scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam eternam habere, & ILLÆ sunt quæ testantur de me, Ioh. 15. v.15. Omnia quæ audiri à patre, nota feci vobis. Ioh. 20. v.31. Hæc scripta sunt ut credatis & credentes vitam habeatis. Act. 20. v.27. Non subterfugi, quo minus annunciare vobis omne Dei consilium. Et præcipue insignis est locus 2. Tim. 3. v. 16. & 17. Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut Perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

12. Ex quibus locis talis texitur ἀπόδειξις: Omnis ea scriptura, cui nihil addi vel detrahi debet: quæ animas convertit: ex qua fides in Christum vera, & vita eterna haberi potest: quæq; manifestationem omnis consilij divini de salute nostra scitu utilis & necessarij continet; deniq; quæ hominem Dei in doctrina cœlesti consummatum, & ad omne opus bonum potest perfectum reddere, pro perfecta merito est habenda. Talis est scriptura Canonica. Ergo perfectionis laus ei merito tribuenda.

13. Rationes alia haec sunt. Prima: Canonem fidei perfectum esse oportet, ut Basilij regula lib.1. contra Eunomium habet. Regula & Canon si sit, quod dicitur; additamentum non patitur: si deficit aliquid, non est quod dicitur. Scriptura est Canon fidei, testibus Esaiæ c.8, v.20. Ad Legem & Testimonium. Et Paulo Gal. 6. v.16.

*Quisquis juxta hunc Canonom incedit, pax super illum & misericordia. Ergo illam perfectam esse oportet.*

14. Secunda: Si imperfecta & multa est Scriptura, aut Deus noluit omnia ad salutem homini necessaria revelare, & perfectam scripturam tradere: aut non potuit. Utrumq; de Deo cogitare nefarium est: manifeste enim vel omnipotentia ejus, vel summa bonitati derogaret. Ergo scriptura nequaquam imperfecta censenda est.

15. Ex Orthodoxorum Patrum choro duos tantum, eosq; non postrema nota, scriptores, Ireneum scilicet & Augustinum, adducimus: quorum ille lib. 2. cap. 47. scribit: Credere debemus Deo, qui & nos fecit, rectissimè scientes, quia scriptura quidem perfecta sunt, quippe à Verbo Dei & Spiritu ejus dictata. Hujus verò lib. 2. de doctrina Christiana cap. 9. hæc sunt verba: In his, quæ aperte posita sunt in scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem moresq; vivendi. Plura in hanc sententiam testimonia colligantur ex Actis Colloquij Ratisb. habit. Anno 1601. p. 160. Edit. Lub.

16. Idem quoq; de perfectione & sufficientia scriptura, ad dijudicanda Religionis & Fidei dogmata sit judicium. Si enim hæc sola est norma & regula, ad quā dogmata omnia examinanda sunt, sufficientis quoq; sit necesse est, At verum prius. Ergo & posterius.

17. Majoris veritas, dupli argumentorum genere, confirmari potest. Primum enim multa occurunt aperta scripture testimonia, quæ solam scripturam perfectam & sufficientem omnium controversiarum normam probant, ut sunt Esa. 8. 20. Ad Legem & ad Testimonium, quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux, 2. Tim. 2. 16. Omnis scripture, divinitus inspirata, utilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem: quō certè elogio satis superq; demonstrat, omnem de Deo, & rebus fidei doctrinam, & institutionem, omnem deniq; ἐλεγχον ad unicam revelata scripture amissim exigi debere.

Bell. lib. 4.  
de verb.  
Dei c. 10.  
18. Non moramur hic putidum istud Bellarmini & Tanneri cavillum, quo evidenter hunc textum Apostolicum eludere conantur. Ajunt enim, Apostolum quidem dicere, Vilem esse scripturam

pturam; Illud autem (utilis est) nunquam significare sufficiens. Unde sicut non sequitur, panis est utilis ad hominem sustentandum, Ergo est sufficiens: Ita nec ex utilitate scriptura sufficientiam ejusdem colligi posse.

141.

19. Atque Apostolus non tantum utilem esse scripturam ait, sed addit, eam etiam perficere: & ad omne opus bonum sufficienter hominem instruere. Conjugit igitur cum utilitate sufficientiam. Nam quod ita utile est, ut simul perficiat, & perfectè instruat, id est sufficiens: Sed scriptura ita utilis est, ut simul perficiat & perfectè instruat: Ergo scriptura est perfecta & sufficiens.

20. Simile quod adferunt, ad modum et dissimile. Etsi enim cibus corpus alit, & vitam hanc continet: est tamen tantum causa, ut sic dicam, imperfecta & partialis: neq; enim ad perfectam vitam, sed ad miserā hanc & imperfectā aliquo saltē modo sustentandam conduceat: non enim solus cibus ad nutritionem sufficit, sed requiritur etiam potus: cum nutrimentum arido constet & humido. Scriptura verò causa est perfecta, & non tantum utilis est, sed etiam sola perfectum effectum salutem nempe & perfectionem hominis, ad omne opus bonum producit.

21. Alterum probationis genus ab Exemplis, Mosis, Christi, & Apostolorum, aliorumq; piorum deducitur. Hos enim quia dogmata omnia non tantū ex scriptura probasse, verū etiam heterodoxa refutasse videmus: utiq; suo exemplo testantur, scripturam solā esse unicam & adequatam Christianorum dogmatum Regulam & Amusim; & consequenter ad perfectam eorundem dijudicationem sufficere.

22. Quod ne absq; scripturā dixisse videamus: sequentia loca consideranda proponimus. Deut. 17. v. 10. & 11. Moses controversias in populo Dei exortas, ex sola lege vult dijudicari. Iohan. 5. v. 39, Christus ad solas scripturas auditores suos remittit: & Saduceos ex sola scriptura resellit Marc. 12. v. 24. & 26. & Matth. 22, cum Phariseis disputans de persona Messie, nullo alio fundamento eos convincit, quam quod ex Psal. 110. deprompsierat. Paulum Apostolum in

lum in suis dissertationibus ad hac solam & unicam normam omnia direxisse, conciones ipsius Act. 13. v. 16. & seqq. & 17. v. 2. testantur. Deniqe evincunt idem exempla Apollo. Act. 18. v. 28. & Berrhoënsium: quos in dubijs solam consuluisse scripturam, autor est Lucas Actor. 17. v. 11.

23. Rationibus idem astruere haud est difficile. Harum ergo prima sit. Necesse est eam doctrinam sufficientem, & normam dogmatum Ecclesiasticorum esse, ad cuius normam & regulam universus orbis judicabitur in die novissimo. At scriptura sacra tunc erit norma, ad quam judicium illud instituetur Ioh. 12. v. 48. Roman. 2. v. 16. Ergo eadem & nunc erit norma sufficientis dogmatum Ecclesiasticorum.

24. Altera. Si ipsi adversarij scripturam agnoscunt normam dogmatum, erit utiqe ea utriusqe partis consensu controversiarum norma, & per consequens sufficientis atqe perfecta. At verum prius. Ergo & posterius. Antecedens testimonio Pistorij Apostata manifestum evadit. Is enim in Inscriptione libri, cui titulum fecit Wegweiser vor alle versierte Christen/etc. diserte testatur, istam suam institutionem ex una scriptura sacra depromptam esse.

25. Deniqe, eadem & Orthodoxorum patrum, Augustini, Hieronymi, Basilij, Cypriani & aliorum est sententia, quorum testimonia magno numero collecta peti possunt ex Actis Colloq. Ratisbon. pagin. 145. Edit. Lub.

De Tradi- 26. Facebat ergo novellum istud Papatus fragmentum, de Traditionibus, quas in respectum Dei & Scriptura excogitavit Tridentina Synodus sess. 4. quasqe Apostolicarum titulo, falso venditat Belarminus lib. 4. de verbo DEI cap. 3. imò tanii facit, ut sine ijs scripturas sufficientes non esse, scriptitet. ibid. cap. 4.

27. Si enim vita & salus eterna, judicia & mandata DEI servantibus, & Evangelio credentibus, non vero traditiones hominum sectantibus, est promissa: utiqe Traditiones non erunt necessarie, & sine his scriptura ad salutem consequendam erit perfectissima & sufficientissima; At prius testantur dicta Scriptura. Ezech. 20. v. 18,

Dedi eis

Dedi eis statuta mea, & judicia mea indicavi eis, in quibus homo, se  
ea fecerit, vivei. Matth. 19. v. 17. Si vis vitam ingredi, serva man-  
data. Marc. 16, v. 16. Qui crediderit, &c. salvus erit. Matth. 15,  
v. 9. Frustra me colunt, docentes doctrinas, mandata hominum.  
Ergo & posterius verum est.

28. Traditionum autem appellatione ea intelligunt Pontificij, Alphons. de  
qua in Romana Ecclesia docentur & servantur, et si nullo scriptu-  
re testimonio nitantur: hac enim illa ipsa esse, que ab Apostolis  
vivâ voce sine scriptis sunt tradita, & propterea eandem cum scri-  
ptis Apostolicis vim atq; autoritatem ad salvandos homines obtine-  
re, dictitant: cui sententia nos d. app. pndv contradicimus.

29. Si enim alia, præter ea que scripta sunt, pari reverentia &  
pietatis affectu (verba sunt Concilij Trid. seß. 4) tanquam ad sa-  
lutem necessaria suscipienda & veneranda sunt: Scriptura non in-  
tegram Dei colendi & ad salutem perveniendi rationem explicat.  
At posterius asserere prohibet Religio: & cum disertis Scriptura te-  
stimonij sup. Th. II. annotatis, pugnat. Ergo & prius falsum erit.

30. Quid? quod negari minimè potest: per Traditiones doctri-  
nam nequaque purè fuisse conservatam, et jam in V. Testamento.  
Et sub praetextu Traditionum Apostolicarum varios abusus statim  
in Ecclesiam irrepsisse videre est, libr. 3. cap. 39. Acto. 15. v. 1. &  
2. Theſ. 2. v. 2. Acde Papia memorat Eusebius, quod paradoxa qua-  
dam tanquam ex traditione D. Iohannis docuerit.

31. Inficias sanè ire non possumus, Apostolos pro temporum suo-  
rum statu traditiones quasdam non scriptas, ordini & decoro Ec-  
clesiastico inservientes observasse: minimè tamen concedimus tra-  
ditionum illarum Apostolicarum parem esse rationem: ac ob id pa-  
rem eas cū scripturis sanctis autoritatem habere negamus: tantum  
abest, ut quod de Romana Ecclesia statutis nugantur patres Tri-  
dentini, concedamus.

32. Quare frustra adversarij, Apostolorum abusi autoritate, suis  
traditionibus fidem facere conantur, indeq; scripturam imperfectio-  
nis & insufficientie nomine traducunt: Idq; maximè, cum  
*B* decre-

Castro l. I.  
ad. her. c. I.  
Concil.  
Trid. seß. 4.  
decr. I.

decreta & traditiones illorum pro Apostolicis nos minimè agnoscamus.

Requisita  
vera & A-  
postolica  
Tradicio-  
nis.

33. Ad Traditionem enim veram & Apostolicam (quam certe nos non reiçere, liquido in conspectu Ecclesiae Christi protestamur, modo aliqua talis esse demonstretur) hæc tria requiruntur.

1. Totius Antiquitatis, & Ecclesiae omnium temporum & locorum manifestus consensus. 2. Convenientia cum apertis scripturis: Apostoli enim non tradiderunt contraria ijs quæ scripserunt, sed σύμφωνα ταῖς χραφαῖς. 3. Evidens ad salutem necessitas. Negatilla Ecclesia obtrudi debet, cui unum ex his deest.

34. Merito ergo vanissimas Pontificiorum tradiiunculas certissimis hisce notis destitutas aversamur, & pro Satana, ejusq[ue] vicarij Pontificis Romani ludibrijs, habendas esse censemus: libenterq[ue] adversarijs αὐτοὶ οἱ εἰποι permitimus, ut cum aliter non velint, suo periculo, relicto scripturarum fonte vivo, traditionum lacunas turbidas consequentur.

35. Nos verò ad Legem & Testimonium, ad Mosen Prophetas & Apostolos provocamus, inventuri ibidem abundè omnia ad salutem nostram necessaria: ut scitè etjam monet Chrysostomus Hom. 49. in cap. 14. Matth. Sciens Dominus, inquit, tantam fore confusionem rerum in novissimis diebus, ideo mandat, ut Christiani volentes firmitatem accipere rei verae, ad nullam rem fugiant, nisi ad scripturas: alioqui si ad alia respexerint, scandalizabuntur & peribunt.

De Per-  
spicuita-  
te Scri-  
pturæ.

36. Demonstrata Perfectione, sequitur quæstio de Perspicuitate Scripturæ Sacrae, de qua itidem inter nos & Papistas controvèritur. Quæsti summa hæc est. An scriptura sacra, capita doctrinæ Christianæ ad salutem scitu necessaria, ita perspicue propoñat, ut vera eorum intelligentia, per mutuam sententiarum collationem elici posít: an vero tanta ejusdem sit obscuritas, ut ad verum ejusdem sensum cognoscendum, necesse sit ad Patrum expostiones, & Romani Pontificis declarationes confugere. Nos prius afferimus. Pontificij posterius.

37. Ne

37. Ne autem simus prolixiores, unica hac & pro dei eis assertio-  
nem nostram stabilimus. Quodcumq; verbum 1. non est abscondi-  
tum, sed in ore atq; animo hominum, adeoq; ante pedes situm.  
2. Quod sapientiam adfert imperitis. 3. Est lucerna pedibus nostris,  
& lux itineri nostro. 4. Est lucerna ardens, splendens in loco ob-  
scuro. 5. Est unica regula divinae veritatis: Illud, inquam, ver-  
bum per se clarum, perspicuum, & manifestum est, nec extraneo seu  
mutuatio lumine Patrum, aut Doctorum, quos Pontifex approbat,  
indiget. At verbum Dei seu Scriptura Sacra talis est. Ergo &c.

38. Major Propositio suâ luce radiat. Minorem ergo his con-  
firmamus testimonij. Deut. 30, v. 11. Roma. 10, v. 8. Mandatum  
hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non est occultum à te, sed propin-  
quus tibi est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illud.  
Psal. 19, v. 8. Testimonium Jehova verax, sapientiam adferens  
imperito. Psal. 119, v. 130. Aditus verborum tuorum illuminat, pru-  
dencia instruit simplices, & v. 105. Lucerna est pedibus meis ver-  
bum tuum: & lux itineri meo. Proverb. 6, v. 22. Lucerna præ-  
ceptum est, & doctrina lux, viaq; vita 2. Pet. 1, v. 19. Habemus  
firmissimum sermonem Propheticum, cui rectè facitis, quod atten-  
dat, velut lucerna splendenti in loco oscuro. Esa. 8, v. 20. Ad Le-  
gem & Testimonium. Luc. 16, v. 29. Habent Mosen & Prophetas,  
audiant illos. Gal. 6, v. 16. Quisquis secundum hunc canonem in-  
cedit, pax super illum & misericordia.

39. Nec diffenit à nobis Orihodoxa antiquitas: Ut enim infini-  
ta testimonia alia omittamus: (qua, qui velit, cognoscat ex Coll. Ra-  
tisb. pag. 162. & seqq. edit: Lub.) placet hoc loco unius Lactantij ex  
lib. 6. Inflit. divin. cap. 21. verba, misographis Pontificijs opponere.  
Num, inquit, Deus, & mentis & vocis & lingue artifex, disertè  
loqui non potest? Imò vero summā prouideniā carere siccō voluit  
ea, quae divina sunt: ut omnes intelligerent quae ipse omni-  
bus loquebatur.

40. Que igitur quantaq; impudentia & impietas Pistorij cen-  
senda est? qui tantam scripturis obscuritatem tribuit, ut nisi ex tra-

ditionibus lux eis inferatur, intelligi non possint; sed meras esse te-  
nebras & errores scriptitet? im Wegweiser cap. 3.

41. FATEMUR SANè, & quidem haud inviti, Non renatis scriptu-  
ram obscuram esse; his enim DEum hujus seculi mentem excoe-  
casse, ut non fulgeat eis illuminatio Evangelij gloriae Christi, cum  
Apostolo credimus, 2.Cor.4. v.4. Quin & ipsis renatis, multa in  
scripturis occurrere difficultia, adeò non negamus, ut ijs et jam quam-  
diu in hujus vita ergastulo versantur, obscuram & particularem  
mysteriorum divinorum cognitionem tantum competere statua-  
mus: juxta illud ejusdem Apostoli. Ex parte cognoscimus, 1.Cor.13.  
v.9. & Christi, Non potestis portare nunc Joh.16. v.12.

42. Verum cum duplex rerum genus in scripturis inveniatur,  
Alia enim scitu omnibus ad salutem necessaria sunt, ut sunt Fidei  
Dogmata: Alia minus ad salutem necessaria, ut Visiones Proph-  
eticae, Chronologie, & alia: absq; harum enim exacta cognitione  
multi salvati sunt & salvantur: Illa quidem nuspiciam ita obscurè  
in scripturis tradita assérimus; quin homo renatus, si eas nota idio-  
mate legat, vel recitari audiat, possit ex ijs tantum percipere, quan-  
tum ad Religionis Christianæ capita discenda, & ad salutem conse-  
quendam ipsi est necessarium: aut sicubi fortè quedam in illis oc-  
currat obscuritas, alijs locis planissimè exposita reperiantur, ut Solis  
ipsius radio scripta videantur, ut cum Tertulliano loquar. Firmis-  
simum est axioma: Nullum esse religionis Christianæ caput, quod  
non proponatur alicubi in scripturis, propriâ & perspicuâ oratione.

43. Cum his vero ita comparatum est, ut si manu quadam  
mentis tua scripturarum januam pulsas, & ea, que sunt occulta, di-  
ligenter examines, paulatim incipias rationem colligere dictorum,  
& aperietur tibi, non ab alio, sed ab ipso Dei verbo, quia solus Domi-  
nus Jesus in Euangeliō suo Prophetarum enigmata & Legis myste-  
ria revelavit, solus scientia clavem detulit, & dedit aperire nobis.  
Ambrosius in Psal. 118. serm. 8.

44. Placuit autem divina sapientia obscuritatibus nonnullis  
scripturas pāsim aspergere, ut 1. in ijs legendis, perscrutandis, confe-  
rendis,

rendis, diligentiam in nobis excitaret. Et ut August. sapientia dixit: In omni copia scripturarum sanctorum pascimur aperiis, exerce-  
mur obscuris. 2. Fastidium removeret; (facile enim fastidimus, qua  
facilia sunt) 3. Ministerium docendi nobis commendaret. 4. Et in  
implorando ejus auxilio de vero scripturarum sensu nobis aperien-  
do, assiduos nos haberet.

45. Patet hinc quid de Interpretatione Scripturæ statuen- De Inter-  
dum sit. Cum enim ea perfecta, clara & perspicua sit, utique alieno & pretatio-  
adventitio lumine interpretationis Ecclesia, Conciliorum, Patrum ne Scri-  
aut Doctorum, quos Pontifex approbat, ad verum ejus sensum e- pturæ.  
ruendum minimè indigebit, sed ipsa per se, insito, nativo suo &  
deum patre lumine sufficiet, ad patefaciendum nobis Spiritus San-  
cti sententiam, in dogmatibus de fide & moribus, adeoque omnibus ad  
salutem necessarijs.

46. Testatur hoc suo exemplo Servator noster Christus, qui  
scripturas de se, suis discipulis interpretaturus, non id facit alienis  
sive peregrinis, sed Spiritus Sancti verbis in scriptura ipsa proposi-  
tis; Luc. 24. v. 27, 45, & 46.

47. Ita cum Satanas scripturam detruncaret, eoque Christum  
tentaturus abuteretur: ex collatione dictorum inter se, Dominus  
verum sensum elicit & demonstrat; quia enim secundum dictum  
Deut. 6. v. 16. Dominus Deus non est tentandus; Ideo verba  
Psalmi 91, u. non posse nec debere intelligi de tali aliqua actione,  
qua sit extra metas vocationis, quam Deus tentatur, ostendit.

48. Unde & scripturas, non decreta Ecclesia & Pontificum,  
scrutari Christus jubet; Iohann. 5. v. 39. Et Paulus Timotheo præ-  
cipit, ut ad veram scripturarum sententiam & intelligentiam asse-  
quendam, earum lectioni attendat: h. est. piâ sedulitate eas evol-  
vat, atque inter se conferat, 1. Tim. 4. v. 13.

49. Fallunt proinde & falluntur Romanenses, dum regulam  
veræ Interpretationis Scriptura dicunt esse debere non ipsam scri-  
pturam, sed sententiam & judicium Romani Pontificis, quippe qui Bell. lib. 4.  
contineat omnia iura in scrinio pectoris sui, ideoque illius expositio de verb.  
Det c. l.

nem simpliciter & absolute, tanquam canonicam, sine ulla inquisitione acceptandam esse.

50. Cui sententia præter modò allata, primum opponimus illud Apostolicum, Rom. 12, 6. Prophetia seu interpretatio fieri debet  $\eta\gamma\tau\alpha$   $\tau\lambda\omega\alpha\lambda\gamma\alpha\eta\alpha\tau\alpha$   $\tau\eta\gamma\pi\zeta\omega\zeta$ , secundum rationem, proportionem, conformitatem fidei, h. e. perpetua & constantis doctrinæ divinae in scripturis sacris propositæ. Non vero inquit Apostolus, Prophetia sit conformis sensu Romani Pontificis.

51. Secundo loco Petri quoq; auctoritatem adducimus, dicentes. Scriptura non sit ἴδιας Πτιλύσεως: Foret autem private Interpretationis, si ad unius Romani Pontificis judicium, conformanda esset.

52. Non itaq; immerito summum interpretandi scripturas jus, Scriptura ipsi ac Spiritui Sancto, in ea & per eam loquenti, deferimus, atq; illud ipsum à Romano Pontifice cum concilio suorum Episcoporum auferimus. Omnes enim homines sunt, ac proinde erroribus obnoxii: & Papam errare posse, imò hereticum esse posse, ipsimet Papista fatentur. Quis ergo coget nos, ut in illorum sententia acquiescamus?

53. Concilijs legitimis & pijs suum honorem libenter tribuimus: ac veterum Patrum industrias, & labores in  $\alpha\gamma\alpha\lambda\omega\alpha$  Scripturæ admiramus, eorumq; scripta Theologiae studiosis diligenter evolvenda esse judicamus: Eam tamen libertatem nobis reservantes, ut, sicuti eorum sententia cum scriptura conciliari nequeant, ab ijs ad aliam cum sacris literis consentientem, liberè accedere licere putemus. Si enim Angelo aliud Evangelium prædicanti non auscultandum, multo minus in verba hominum jurare debemus. Patres autem & concilia sèpè errasse, & sacræ literæ, & Ecclesiæ historia luculenter docent.

54. Supereft quæstio de Necessitate Scripturæ Sacrae: de qua tria potissimum in controversiam vocantur. Primum enim de Necessitate Scriptionis queritur: Anne Scriptura Sacra sit necessaria: seu ut clarius dicam: Fuerit Necesarium, doctrinam

Alphons. de  
Castro li. 1.  
adu. heres.  
cap. 1.

Gal. 1, 8.

De Ne-  
cessitate  
Scriptu-  
re.

nam sacram anteā quidem varijs modis traditam, & traditione  
viva vocis propagatam, in libros tabulasq; referre?

55. Pontificij veritatis vi adacti de Veteris quidem Testamen-  
ti Scriptura mandatum agnoscunt: Sed ut Euangelista & Apostoli  
doctrinam Evangelij de Christo in literas referrent, id verò non  
fuisse necessarium autumant.

56. Hinc Novi Testamenti scripturam hisce exornant Em- Bell.lib.4.  
blematibus. 1. Non factum fuisse ex mandato Christi, quod Evan- de verbo  
gelista & Apostoli quedam literis mandarint: prædicare enim illos Dei c.3.  
jussos esse Matth.28; v.19. Marc.16, v.15. non scribere. 2. Natu- Andrad.  
ram verbi Evangelici non ferre, ut literis consignetur: Id enim lib 2. def.  
non tam in tabulis, quam in cordibus scribi debere. 3. Scriptionem fid. Trid.  
librorum N. Testamenti non esse de Necessitate simpliciter, sed per- & Bellar.  
tinere (verba Bellarmini sunt lib.4. de verbo Dei cap.4.) ad bene- loco allego.  
esse, id est, Essē de Utilitate Ecclesiae, non Necessitate.

57. Nos contra Necessariam quoq; esse N. Testamenti scriptu-  
ram, non quidem Necessitate absolutâ, sed ex Hypothesi, ne quolibet  
doctrine vento circumferamur, & plausibili prætextu Traditionum decipiāmur, per quas, teste experientia, incerta est verbi di-  
vini custodia, hoc argumento evincimus.

58. Si 1. Deus expreſſe iuſſit Apostolos scribere. 2. Et genera-  
tim omnes gentes docere Evangelium. 3. Et scripturam istam  
omnibus hominibus commendavit: 4. Tanquam medium fidei ex-  
citanda & confirmando ad salutem eternam: Falsissimæ erunt istæ  
Pontificiorum, Thesi 56. post& aſſertiones, & contra ſententia no-  
stra de Scriptura Necessitate veriſſimæ. At verum prius. Ergo  
& posterius.

59. Assumptum hiſ nititur fundamentis. Primo enim expreſſum  
ſcribendi mandatum extat Apocal.1, v.11. Scribe, que vidisti,  
& 2. v.1. 8, 12, 18. & 3. v.1. & 14, v.13. Quod autem uni Apo-  
ſtolo eſt injunctum, id ad omnes in propaganda doctrina pertinet.  
2. Docere quoq; jubentur Apoſtoli omnes gentes Matth.28, v.19.  
Quia autem impossibile erat Apoſtolis omnium locorum & atatum  
gentes

gentes coram vivâ voce docere & instituere: Christus verbis  
intraeiv̄ καὶ διδάσκειν Utrumq; medium doctrinae propaganda  
simul complecti voluit, prædicationem scilicet apud præsentes, &  
scriptionem apud absentes: alioquin non potuissent omnes ubiq; lo-  
corum & temporum populi eruditiri. 3. Scripturam istam omnibus  
Christus ipse cōmendat, Joh.5,v.39. Et eum secutus Paulus Timo-  
theo mandat, ut lectioni attendat: 1.Tim.4,v.13. Idquod de toto cor-  
pore Biblico rectè intelligitur. 4. Et est medium excitandæ & confir-  
mandæ fidei ad salutem æternam, Ioh.20. v.ul. Hec scripta sunt ut  
credatis. Et 1.Timoth.4. v.18. Aitende doctrinæ; hac enim faci-  
ens, te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.

60. Comprobat idem suo suffragio Orthodoxa Antiquitas, ex  
qua unicus nunc loquatur Augustinus. Is vero lib.1. de consensu  
Evang. cap.ultimo Quicquid, inquit, Christus de suis dictis & fa-  
ctis legere nos voluit, hoc scribendum discipulis, tanquam suis ma-  
nibus, IMPERAVIT.

61. Cum autem, ut non minus eleganter, quam rectè pronuntiat  
Chrysostom: datae nobis sint scripture, non ut in libris duntaxat, ha-  
beamus, sed ut cordi insculpamus; Optimo ordine quæstio de Neces-  
itate Lectionis sequitur: quā queritur, situe Necessaria, & conse-  
quenter, Num omnibus Laicis etiam, seu plebeis, sacrorum Biblior-  
um lectio sit permittenda,?

62. Negativæ subscribunt Pontificij, blasphemо calamo scri-  
bentes, Lectionem scripture sacra, non tantum non esse utilem, sed  
multis modis perniciosa Ecclesiæ. Colon. Censura fol.21. Omnibus  
item Laicis (quo titulo tam Reges & Princes, quam etiam  
reliquos omnes, qui non sunt Ordini Ecclesiastici, Curia Ro-  
mana indigit.) in universum sacrarum literarum lectione  
interdicere debere eos, qui salvam volunt esse religionem. Colonien.  
Cens. art.1. Siquidem Dureo Iesuita teste, promiscua fidelium  
vid. Tom.2 turbæ, dati sint non scripturarum libri, sed Pastores & Doctores. Ac  
doct. Iesui. idem in Witakerum scribit: Si Christianis omnibus, ut scripturas  
pag. 401. scrutentur, à Christo dictum esse intelligis, in magno certe errore  
versaris.

63. Afr-

De Le-  
ctione  
Scriptu-  
ræ.

63. Affirmativa verò, quam nos, duce Scriptura, defendimus:  
rititur primò Auctoritate Christi, qui omnes absq; personarum di-  
scrimine, scripturas scrutari jubet, Ies.5, 39. Et fratribus Epulonis,  
Laicis certè, mandatur, ut audiant Mōsē & Prophetas: Luc. & 16.  
v.29. Atqui audire eos nisi in scripturis loquētes non poterant: Scri-  
pturas ergo legere hoc mandato jubentur.

64. Accedit deinde ipsius Dei apud Esiam mandatum ac  
Pauli consensus. Sic enim Esias, cap. 34. v. 16, ait: Requirite in libro  
domini & legite. Et Paulus Coloss. 3. v. 16. totam Ecclesiam & sin-  
gulos in ea fideles hortatur, dent operam ut verbum Dei abundan-  
ter in illis habitet: Et de Lectione expresse inquit cap. 4, v. 16. Cum  
Lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite, ut & in Laodicensium  
Ecclesia legatur, & eam quæ ex Laodicea est, vos quoq; legatis.

65. Tertiò. Non sunt adimenda homini Christiano arma illa,  
quibus se contra Satanæ insultus munire debet. At verbum DEI  
lectum, meditatum, auditum, est gladius ille, quo pīj pugnant ad-  
versus Satanam. Matth. 4. Ephes. 6, v. 16. & 17. Illud ergo non est  
adimendum Christianis, nec hi ab illius lectione arcendi.

66. Confirmant idem quarto loco exempla Veteris & Novi Te-  
stamenti. In Veteri præludent nobis pīj Reges, David, Salomon, Io-  
saphat, Iosias; &c. qui non tantum legem DEI legerunt; sed &  
scribendo illustrarunt: Unde & Psalmo 119. Lectionem omnibus  
à Necessario, Vtli, jucundo, commendat David. In Novo, Eunu-  
chus Reginæ Candaces etiam in iūnere lectione scriptura sacra se  
recreat. Act. 8, v. 28. quod & nobilissimos illos Berrhoënses factitasse  
testatur Lucas Act. 17. v. 11.

67. Eadem deniq; est patrum quoq; Orthodoxorum sententia,  
ex quib Chrysostomum audi visse sufficiat. Sic autem is Hom. 9. ad  
Colos. & Homil. 13. in Iohannem: Audite, inquit, quotquot estis  
seculares & uxori & liberis præfis, quomodo & vobis det in man-  
datis scripturas legere, nec leviter & negligenter, sed ma-  
gno studio.

68. Durai vero objectum quod attinet, est in eo fallacia ex  
C quasi

quasi pugnantibus. Non enim pugnantia sunt, Doctores & libri, sed subordinate causæ institutionis nostræ: idemq; DEus qui Pa-  
stores & Doctores dedit, libros quoq; scripturarum dedit: eosq; eum in finem dedit; ut & pastores eos populo proponant, & quisq; eas pro se legat assidue & scrutetur.

69. Hanc quæstionem excipit illa, qua de Necessitate Versionis sacrarum literarum agitur: Si enim legenda est Scri-  
ptura sacra à Christianis omnibus, utiq; in ea lingua legenda est, quam quisq; intelligit; Cum autem non omnes linguarum Hebrææ & Gracæ (in quibus originaliter scripti sunt libri sacri) gnari sint: non incommodè queritur: An utile aut necessarium sit, in linguam cuiusq; gentis propriam Biblia sacra convertere??

70. Quæstionis negativam iterum sequuntur Pontificijs nos affirmativam tuemur, his rationibus. Prima. Finis scripture est, ut per eam auditam, lectam & intellectam servemur, Ioh. 20, v. 31. At legi & intelligi non potest, nisi in ea lingua extet, quæ cuicunque genti nota est. Ergo ut in sua quisq; lingua eam habeat, ipsa salus postulat & consequenter, ut vertatur necessum est.

71. Secunda. Deus Evangelium regni sui non tantum Hebrææ & Gracæ lingua peritis, sed omnium linguarum populis notum esse voluit: Matth. 28, v. 19. Atqui innotescere id omnibus non posset, nisi lingua notâ & usitatâ proponeretur. Necessario ergo id in eam linguam transferendum, quæ quisq; lecta & audita cognoscere & intelligere potest.

72. Tertia. Si Scriptura legenda est, ita certè legenda est, ut inde fructum aliquem capiamus. At si in ignota lingua legatur, nulla ejus est utilitas, 1. Cor. 14, v. 6. Si venero ad vos loquens linguis, quid vobis prodero? & v. 9, nisi manifestum sermonem dederitis quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in aëra loquentes. In linguam ergo usitatam & notam vertenda est.

73. Quid? quod Christus ipse vernacula lingua docuerit: Et Apostolos, Gracos & alias gentes non Hebraicâ sed Gracâ & cuicunque genti vernacula lingua docuisse, historia Actorum 2. capite descri-

pta,

pta, testimonio evidentissimo comprobat. Unde & donum variorum linguarum pro diversitate gentium ipsis donatum fuit.

74. Deniq; si nefas esset, vel unquam fuisset, scripturam linguâ vernacula legi, nunquam eam Hieronymus in linguam Dalmati- Vide VVi- cam, que ipsi patria fuit, vertisset: Nunquam Chrysostomus in t.i.k. de SS. Armenicam, Ulphila Gothus Episcopus in linguam Gothicam, quest. 2. nunquam alijs in alias linguis translulissent. cap. 14.

75. Verè ergo Antichristiana Tyrannis Pape est, qui legibus cavit, ne scriptura in linguis populares convertatur, nisi ab ijs, quibus ipse hoc permisit.

76. At verò ubi tum erat. Pape auctoritas, cum Chaldaica, Syriaca, Arabica, Græca, alieq; versiones, quas partim ante, partim ipsis Apostolorum temporibus factas esse docti statuunt, lucem spicerent? Frustra ergo ad Pontificis auctoritatem, qua tum adhuc nulla erat, provocant Romanenses: & principij petitione incertos fallunt, ad Pontificis auctoritatem, maximè controversam, hac in causa respicientes.

77. Et si vero versionum in linguis populares hinc pateat cum Utilitas tum Necesitas: nullam tamen earum per se divinam auctoritatem habere statuimus, nisi quatenus originali lingua Scriptura sacra, que vel Hebræa est in Veteri, vel Græca in Novo Testamento, respondeat.

78. Unde, quid de quæstione inter nos quoq; & adversarios De Vulga Pontificios controversa, Vtrum vetus & vulgata versio latina sit ta Versio, authentica, statuendum sit, haud est obscurum. ne Latina

79. Vulgatam autem versionem latinam appellamus, qua adhuc extat, & in usu est: quæq; alias Hieronymi dicitur: quamvis ob multos magnosq; errores, Hieronymo lingua Hebræa peritissimo, tota ascribi non posse videatur.

80. Hanc vero Synodus Tridentina autoritate plusquam- Sessione 4. prætoria decernit esse authenticam: hoc est, tantæ auctori- decreto 2. tatis, ut nemo illam in publicis lectionibus reijcere quovis pra-

C 2 textu

textu audeat, & præsumat. idemque operosè astruere conatur Bellarminus lib. 2. de Verbo DEI cap. 10.

81. Cui sententia nos sequentes rationes opponimus. Prima. Si Hieronymus ipse, qui auctor putatur editionis latine, eam multis in locis à vero aberrare, nec satis in omnibus exactam & elaboratam esse, professus est, pro authentica sanè haberi nequit. At verum prius. Ergo & posterius. Minoris veritas ex prefat. Hieronymi in libros Salomonis manifesta est: ubi suam istam interpretationem vocat opus tridui: & proœmio in Ecclesiasten ipse testatur, magis se 70. interpretum versionem (quam fontibus non undiquaque congruere certum est,) quam Hebraicam veritatem, secutum esse.

82. Secunda. In quo sunt multi errores, id authenticum esse nequit. In vulgata translatione latina sunt multi errores. Ergo &c. Minoris probatio prolixia petatur ex Chemnitij parte prima Examinis, sub titulo de Vers. Script. & Hunnijs examine primæ controversie Bellarm. lib. 2. cap. 13. item Witakero, de Script. Sac. question. 2. cap. 10, 11, & 12.

83. Tertia. Si vulgata editio Latina ex Hebreæ & Græca, Scriptura corrigenda, & examinanda est, non potest esse authentica. Sed est examinanda & corrigenda. Ergo &c. De Majoris certitudine nemo sana mentis dubitat: neg, enim id authenticum esse potest, cuius fides ex alio examinanda est. Minor cum patrum testimonij, tum ipsorum Pontificiorum concessione clara est.

84. Patrum sententiæ videantur apud Augustinum lib. 2. de doctrina Christi. cap. 12. & 15. & lib. 15. de Civit. Dei cap. 13. Hieronymum item in Epistola ad Suniam & Fretellam, & in Epist. ad Marcellam.

85. Ex pontificijs non immerito adducimus primò Gratianum distinct. 9.c. ut veterum; & c ita confidentem. Ut veterum librorum fides de Hebreis voluminibus examinanda est: ita novorum veritas, Graci sermonis normam desiderat. Secundo, Lajolane gentis Hy-

tis Hyperaspisten Bellarminum lib. 2. de verbo Dei cap. II. concedentem Latinos codices ex Hebreis fontibus corrigendos esse, cum videlicet culpâ librariorum sunt corrupti; cum sibi contradicunt: & cum ambiguam vel incertam sententiam continent. Quâ ratione & Latina editioni omnem penitus auctoritatem derogat, & Patribus Concilij Tridentini fadè contradicit.

SOLI DEO GLORIA.



Ad Dn. M. Iohannem Wec-  
cium Respondentem,

Ecclesiæ Neophaniensis in Hadeleria Pastorem  
designatum.

**E**sto, Suita fremat, neget, & pleno ore recla-  
Obijciens Papæ dogmatæ fidei sui: (met,  
Hæc immota manent fidei fundamina nostra,  
Quæ posuit summus constituitq; Deus.  
Et clarè monstrant quæ sit divina voluntas,  
Et fugienda monent, & facienda docent.  
Discite mortales venerari sacra Jēhovā:  
Hinc etenim vobis, vita, salusq; fluunt.

C 3 Sis fe-

Sis felix igitur qui pectore ē ore fateris,  
WECCI, quæ clarè sacra statuta jubent.  
Perge bonis avibus constanter ea ipsa tueri,  
Atq; sonare pio pectore, voce piā.  
Optatas postquam sōspes perveneris oras,  
Quōte Fata vocant, gloria quo ve Dei.  
Sic tibi crescat honos, sic præmia larga manebūt,  
Vatibus in Cælo quæ Deus ipse dabit.

M. Michael Graffovius Hamburg.



A L I U D.


Principium veræ nobis prælustrare salutis  
Contigit, hoc nullo est fas temerare modo.  
Lucida nimirum supremi oracula Jēhova,  
Immota cunctis accipienda fide.  
Sunt homini illa Dei constanti marte tuenda,  
Proq; illis firmo standum animo, atq; pede.  
Sed velut Athletes tutâ prodire palestrâ  
Asolet, & pugnæ se parat ante truci:  
Seria sic qui vult quondam certamina inire,  
Atq; hostes contrafigere ritè pedem:  
Se recte

Se rectè exercet securâ à cæde palæfirâ,  
Hostica amicorum tela videtq; manu.  
Sic prævisa minus tentatum tela cruentant,  
Sic contra ille et jam rectius arma gerit!  
Nunc ergo hoc iterū quod prodis fine Magister,  
Pugnandi contrâ das specimēq; foras:  
Laudo equidē, atq; tuo fausta incrementa labore  
Opto, & victrices inferiendo manus.  
Sic benè oves pasces, sic pelles fortiter ursos,  
Quam nunc jussus adis, in statione, VALE.

Iohannes Vatkius Pom.

F I N I S.













63. Affirmativa verò, quam nos, duce Scrutinio primò Auctoritate Christi, qui omnes a scrimine, scripturas scrutari jubet, Jes.5, 39. Et Laicis certè, mandatur, ut audiant Mosen & David. v.29. Atqui audire eos nisi in scripturis loquente pturas ergo legere hoc mandato jubentur.

64. Accedit deinde ipsius Dei apud Esaias Pauli consensus. Sic enim Esaias, cap.34. v.16, a domini & legit. Et Paulus Coloss.3. v.16. tota gulos in ea fideles hortatur, dent operam ut veter in illis habuerit. Et de Lectione expresse inquit Læcta fuerit apud vos epistola hæc, facite, ut Ecclesia legatur, & eam quæ ex Laodicea est.

65. Tertiò. Non sunt adimenda homini quibus se contra Satanae insultus munire debet lectum, meditatum, auditum, est gladius ille versus Satanam. Matth.4. Ephes.6, v.16. & adimendum Christianis, nec hi ab illius lectio-

66. Confirmant idem quarto loco exempla stamenti. In Veteri prælucent nobis p̄ij Reges, Saphat, Iosias; &c. qui non tantum legem scribendo illustrarunt: Unde & Psalmo 119. à Necessario, Vtili, jucundo, commendat Dominus Reginæ Candaces et jam in itinere lectio recreat. Act.8, v.28. quod & nobilissimos illos testatur Lucas Act.17. v.11.

67. Eadem deniq; est patrum quoq; Ortigia ex quib Chrysostomum audiuisse sufficiat. Si Coloss. & Homil. 13. in Iohannem: Audite seculares & uxori & liberis praefatis, quomodo datis scripturas legere, nec leviter & negligenter studio.

68. Durai vero objectum quod attinet



limus:  
um di-  
ulonis,  
c.c. 16.  
t: Scri-  
um ac  
n libro  
& sin-  
indan-  
. Cum  
sium  
jatis.  
ra illa,  
D E I  
int ad-  
non est  
ovi Te-  
zon, Io-  
sed &  
mnibus  
Eunu-  
acra se  
ictitasse  
tentia,  
n.9. ad  
not estis  
in man-  
ed ma-  
lacia ex  
quasi